

ut salvo honore illius et citra offensam viri huius privatum persona laedatur. Etiam simul decore . . . locutioni ornamenta quaesita sunt, cum ita dicat:

Omniaque mea tela sic in te coicientur, ut nemo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur. 5

Id est: Sic in te fiet invectio, ne quid de Caesaris honore minuatur.

§ 14. Tu, qui te Pythagoreum soles dicere.

Hoc ipsum plenissime purgavit atque defendit et non sine laude praetulit in ea oratione, quam pro ipso 10 Vatinio scribere adgressus est. Fuit autem illis temporibus Nigidius quidam, vir doctrina et eruditione studiorum praestantissimus, ad quem plurimi conveniebant. Haec ab obtrectatoribus veluti actio minus probabilis iactitabatur, quamvis ipsi Pythagorae sectatores 15 existimari vellent.

Auspicia contemseris.

Iam dictum est servante de caelo Bibulo consule hunc Vatinium legem tulisse de imperio Caesaris, ut exercitum et Illyricum et Gallias du . . . ceret. 20

§ 15. Primum quaero, num senatui causam tuam permittas, quod facit Caesar.

Eadem ratione qua supra vult insectationem Vatinii non pertinere ad contumeliam Caesaris. Commiserat autem senatui causam suam C. Caesar, id est, ut de lege agraria 25 patres iudicarent. Ibi enim habitae sunt tres illae orationes contra Domitium et Memmium. Male sibi ergo conscium Vatinium redarguit, qui de rebus ab se gestis in tribunatu iudicem senatum habere non audeat.

§ 16. Ex iis erant, quos cotidie sciebas servare de 30 caelo.

